



1. Arnoldi Joh. Conr. diff. de Deo, Mundo et Homine, Gisse 1719.
2. Baumgarteni Sijism. Jac. diff. ad verba Rom. 1. v. 4. Hald 1738.
3. Beumleri Marci diff. de libero Nature Tiguri 1797.
4. Gernerii Salam. Theres. de Sacramentis in genere, Wittenbergæ 1596.
5. Hartmanni Joachimi diff. Sirtens Vati-
cinum Simeonis. Rostochij 1744.
6. Heilbronneri phil. diff. proponendi
Antitheria Doctrinae petri Apostoli et
Pontificis Romani, Lauingæ 1597.

THESES THEOLOGICÆ,
DE JUSTIFICATIONE HO-
minis peccatoris coram Deo:

Quas,

DIVINO BENE AUXILIANTE FAVORE,

P R A E S I D E

JOHANNES MOLTHE-
RO, SS. THEOLOGIAE DOCTORE,
& Hebræarum literarum in inclyta Acade-
mia Marpurgensi Professore, publicè
pro virili tueri enitetur

M. NICOLAUS JACOBUS
Cassellanus, Hassus.

Ad diem 21. Januarii, in auditorio Theologico.



MARPURGI CATTORUM, excudebat Paulus Egenolphus, 1599.

Doctrina atq. omnium virtutum genere ornatissimo visa
Dn. M. Eberhardo Mesomylio collegæ suo et amico



AMPLISSIMIS, PRUDENTISSIMIS, AC MUL-
tuplici doctrina & rerum usu prestantissimis viris, Cos. Consu-
laribus & Senatoribus inclytæ Reip. Cassellanae, Dominis
ac patronis suis plurimum honorandis, S.



U pillum tenerè quæ fovit blandè, aluitq;
Nutrix, maternum sedula fecit opus.
Fida igitur meruit ferri cultuq; & honore
Quantum vix mater promeruisse potest.

Matris enim studium natura magistra gubernat,
Nutricis curæ sunt pietatis opus.

At vos ô quorum Patriæ Respublica floret
Consiliis, & pax cum pietate viget.

Vos mihi nutrices studiorum hucusq; fuistis,
Patronosq; suos vos mea Mûsa colit.

Vester alumnus ego: ex vestrisq; clientibus unus:
Efficiunt vestra hoc plurima facta benè.

Verùm pro meritis quas possum solvere grates
Non habeo: ingratus non tamen esse velim.

Ubi in quod potero memori benè mente reposta,
Servabo à vobis quæ benefacta tuli:

Et dum vita manet, dum spiritus hos regit artus,
Lingua mihi vestræ prodiga laudis erit.

Interea hæc animi monumenta admittite grati,
Quæ vobis humili debita sacro manu.

Quod reliquum est porrò se vobis nostra Camcena
Commendat Patres, ô patria, ôq; mei.

Optat & hunc annum, qui nunc ab origine currit,
Vobis & vestris & patriæ ire bonum.

P. V. V.

observantis.

Nicolaus Jacobus.





DE JUSTIFICATIONE HOMINIS peccatoris coram Deo.

THESIS I.



- V*M omnis nostra salus & conscientiarum tranquillitas ex eo doctrina Christiana loco petenda sit, qui est de justificatione hominis peccatoris coram Deo: opera precium nos facturos existimavimus, si ad eius illustrationem & confirmationem quaecumq; hoc studium nostrum conferremus.
2. Maximè cum hac pars Christiana religionis omnibus temporibus, variis depravationibus & corruptelis obnoxia fuerit: & porro etiam metuendum sit, quod Lutherus dicit in epist. ad Galat. ne Diabolus ablata pura fidei doctrina rursus invehat doctrinas operum & traditionum humanarum.
 3. Verbum autem justificandi, etiamsi compositione Latinum sit, usum tamen Ecclesie proprium est: unde ex prophanis Latinae linguae authoribus de genuina eius significatione (quæ quidem in hac disputatione locum habeat) constitui non potest: quod idem Costerus fatetur c. 6.
 4. Scholasticis hic sensus maximè placuit, ut justificare sit idem, quod mutatis qualitatibus, ex iniusto iustum facere: quemadmodum calefacere significat ex frigido calidum facere, seu calorem dare: nimirum ut obtinerent iustitiam hominis, quæ Deo probatur, infusam & inhaerentem esse, non imputatam: à quibus hæcenus Pontificii ne latum quidem pilum recedunt.
 5. Ut igitur de vera significatione huius verbi melius constare possit, usum eius quem habet in S. scripturis subducemus. Itaq; sacra litera verbum justificandi vel hominibus vel Deo tribuunt: & hominibus quidem vel malis, vel bonis.
 6. Mali iustificant vel seipsos, vel alios. Seipsos, quando iustitia laudem sibi arrogant, proq; iustis haberi volunt, Luc. 10. vers. 29. Ille volens iustifi-



justificare seipsum. Luc. 16. v. 15. Vos estis qui justificatis vos ipsos coram hominibus.

7. Alios iustificant, quando pro pijs habent, & iustos pronunciant, quibus improbi & iniusti sunt. Es. 5. v. 23. Qui iustificatis impium pro munerebus. Pro v. 17. v. 15. Qui iustificant impium, & c.

8. Boni iustificant vel Deum, vel alios, vel seipsos.

9. Deum iustificant, qui Deum agnoscunt iustum, eiq; iustitia laudem & testimonium perhibent. Luc. 7. v. 29. Publicani iustificaverunt Deum. v. 35. iustificata est sapientia ab omnibus filijs suis. Psal. 51. v. 6. ut iustificeris in sermonibus tuis.

10. Alios iustificant, quando de bonis & pijs recte sentiunt, eosq; testimonio suo iustos declarant, adeoq; pro iustis sententiam ferunt, ut Deut. 25. v. 1. Quem iustum perspexerint illi iustitia palmam dabunt. Psal. 82. v. 3. Humilem & pauperem iustificate.

11. Seipsos iustificant & iustificantur, qui sancte & inculpate vivendo, sese iustos declarant. Ecclesiastici 18. v. 22. Ne verearis usq; ad mortem iustificari: Et hoc sensu Iacobus Abrahamum ex operibus iustificatum esse dicit, Iac. 2. v. 21. (quem tamen Paulus Rom. 4. vers. 2. alio sensu ex operibus iustificatum esse negat.) & hominem ex operibus iustificari. vers. 24.

12. Sic quoq; seipsos iustificant, seu iustificantur, qui semel acceptam remissionem peccatorum conservare & retinere student. Apoc. 22. v. 11. Qui iustus est, iustificetur adhuc, id est, Philip. 2. v. 12. cum metu & tremore salutem vestram operamini.

13. Deus autem iustificat, quos sibi reconciliatos in gratiam recipit & ad vitam aeternam accipiat; cuius iustificationis duo sunt gradus: primus, ut iustos faciat: alter ut iustos pronunciet.

14. Iustos facit, quos iustos constituit. Rom. 5. v. 19. dum non imputat peccatum Rom. 4. v. 8. Sed remissis & tectis peccatis. v. 7. imputat iustitiam absq; operibus, v. 6. & hoc sensu Deus impium iustificare dicitur. Roman. 4. vers. 5.

15. Iustos pronunciat privatim vel publice. Privatim quidem, externe & interne: Externe, quando credentibus in Christum remissionem peccato-

peccatorum annunciat, eamq; verbo promissionis confirmat. 2. Sam. 12. v. 13. Dominus transtulit peccatum tuum. Matth. 9. v. 2. Conside fili, remittuntur tibi peccata tua. Luc. 7. v. 48. Remittuntur tibi peccata: ut & Publicanus descendit in domum suam iustificatus praeparato Phariseo, Luc. 18. vers. 14.

16. Hinc est, quod Ecclesiae Doctores Danielis 12. v. 3. Mazdikim iustificatores, & Obadiae v. 21. Moschym salvatores vocantur. Illorum enim ministerio Deus credentes in Christum iustos pronunciat, unde Ioh. 20. v. 23. Quorum remisistis peccata.

17. Internè iustos pronunciat, quibus pacem & tranquillitatem conscientiarum largitur. Ro. 5. v. 1. dato arrhabone spiritus in cordibus eorum: quosq; sic obsignat spiritu promissionis sancto tanquam certo hereditatis suae pignore. Eph. 1. vers. 13. in diem redemptionis. Eph. 4. v. 30. & quorum spiritui spiritus gratiae, Zach. 12. vers. 10. & adoptionis testatur quòd sint filij Dei. Rom. 8. v. 15. 16.

18. Publicè iustos pronunciat, quando iustificatos in novissimo die ad possessionem regni caelestis vocabit, Matt. 25. Unde Rom. 8. v. 33. Quis accusabit electos Dei? Dens est qui iustificat.

19. Haec autem inter se tam arctè coherent & connectuntur, ut iustus non pronunciet, quem non antea iustum fecerit, nec iustum faciat, qui eundem quoq; iustum pronunciet.

20. Haec verbum iustificandi in disputationibus Paulinis (in quibus soli Deo tribuitur) sic accipiendum est, ut complectatur I. Remissionem peccatorum. II. Imputationem iustitiae. III. Absolutionem & acceptationem ad vitam aeternam.

21. Fusius haec: ut plena inductione ostenderemus verbum iustificandi nusquam in S. scripturis eam habere significationem quam Scholastici (decepti cognatione iustificationis & sanctificationis) confinxerunt, & hodie Pontificij mordicus tuentur. Quod autem Ps. 73. vers. 13. legitur, iustifica vi cor meum, in Hebraeo aliud verbum est.

22. Sic igitur evoluta significatione verbi: iustificationem ipsam (de qua in Ecclesia potissimum agitur) distinguimus in primariam & secundariam.

naturam factus est mediator: Et mediatoris officium ad totam personam in duabus naturis subsistentem pertinet: Unde beneficium iustificationis est *σποτέλεσμα θεανδρικών*, ad quod perficiendum utriusque natura ἐνέσγεια requirebatur, ac proinde mediatorem Deum & hominem esse oportebat.

32. Quinimò iustificatio quoque tribuitur Spiritui sancto, 1. Cor. 6. v.

11. Iustificati estis in nomine Domini Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri.

33. Ideoque cum Baptismus nostra iustificationis Sacramentum sit, & ut Paulus de circumcisione loquitur, signaculum iustitiae fidei. Rom. 4. v.

11. Baptizamur quoque eis τὸ ὄνομα Patris, & Filij & Spiritus S. Matth. 28. vers. 19.

34. Etsi verò beneficium iustificationis tribus personis Diuinitatis commune sit, alio tamen respectu scriptura illud tribuit Patri, alio item Filio, alio denique Spiritui sancto.

35. Pater iustificat gratuita misericordia & dilectione, qua perditum genus humanum complexus, ad illud redimendum, filium, quem habuit unicum in carnem misit. Ioh. 3. v. 16. Sic Deus dilexit mundum, 1. Ioh. 4. v. 9. In hoc apparuit charitas Dei, &c. Rom. 5. vers. 8. Commendat Deus charitatem suam in nobis, &c.

36. Filius iustificat merito obedientiae & satisfactionis suae: Natus enim est nobis saluator. Luc. 2. v. 11. factus sub lege. Gal. 4. v. 4. ut legem impleret. Matth. 5. vers. 17. & perfectio legis esset ad salutem omni credenti. Rom. 10. v. 4. ut iugum oneris nostri, & virgam humeri nostri, & sceptrum exactoris nostri superaret. Es. 9. vers. 4. factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Philip. 2. v. 8. ut in corpore carnis suae per mortem patri nos reconciliaret. Col. 1. v. 22. Ingressus in tabernaculum non manufactum tanquam Pontifex aeternorum honorum, Heb. 9. v. 11. ut ad dexteram Dei pro nobis interpellaret. Rom. 8. v. 34.

37. Expositum est autem hoc iustificationis beneficium non angelis: Illi enim in veritate perstiterunt. Ioh. 8. v. 44. ac multò minus Diabollis: Illi enim in iudicium magnae diei vinculis aeternis sub tenebris reservantur. Iudae. v. 6. 2. Pet. 2. v. 4. Sed homini peccatori, adeoque toti humano generi.

38. Nota

38. Non enim vult Deus mortem peccatoris, Ezech. 18. v. 32. ca. 33. v. 1. sed vult omnes homines salvos fieri. 1. Tim. 2. v. 2. nolens aliquos perire, sed omnes ad penitentiam reverti. 2. Pet. 3. v. 9. Unde omnes sitiennes vocat ad aquas. Es. 55. ver. 1. ut ad se convertantur omnes fines terrae, & salvi fiant. Es. 45. v. 22.

39. Et Christus est salutare Dei paratum ante faciem omnium populorum, Luc. 2. v. 31. Semen illud promissum, in quo benedicerentur universae cognationes terrae, Gen. 12. v. 3. Agnus Dei tollens peccata mundi, Joh. 1. vers. 29. Propitiatio pro peccatis nostris, nec pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi, 1. Joh. 2. v. 2. Ut quemadmodum unius delicto factum est, ut omnes damnarentur, sic etiam unius iustitia fiat, ut omnes homines absolvantur & vivant. Rom. 5. v. 18.

40. Quod tamen maxima pars hominum damnatur, (angusta enim est porta, & arcta est via quae ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam, Matth. 7. v. 14.) etiam eorum, qui vocantur, (multi enim sunt vocati, pauci vero electi, Matth. 20. v. 15.) non defectui misericordiae divinae, nec insufficientiae meriti Christi imputandum est, sed ipsorum ingratitude, quod Deo tota die manus ad eos expandenti tergum obvertunt. Es. 65. v. 2. & Christum in propria venientem non recipiunt. Joh. 1. ver. 10. Volui congregare filios tuos, sed noluisti. Matth. 23. vers. 37.

41. Iustificat autem Deus, quando remittit iniquitates, & peccata tegit. Psal. 32. v. 1. Imò in profundum maris abiicit. Mich. 7. v. 19. post tergum proicit. Es. 38. v. 17. & non amplius imputat. Imputat autem iustitiam, quae est Domini nostri Iesu Christi absque operibus. Rom. 4. vers. 6. & ea imputatione iustitiae ad vitam aeternam acceptatos, salvos & beatos reddit.

42. Hanc veram esse iustificationis formam & rationem clarè demonstrat Paulus, Rom. 4. tum exemplo Abrahae v. 1. tum testimonio Davidis v. 6. quorum illud ex Gen. 15. cap. hoc ex Psal. 32 repetivit.

43. Exemplum autem illud Abrahae tantò gratius esse debet, quia iustificandorum typus quidam ille fuit, & non propter illum tantum scriptum est fidem ei imputatam fuisse ad iustitiam, sed & propter nos, quibus

quibus itidem in Christum credentibus fides ad iustitiam imputari de-
buit, Rom. 4. v. 24.

44. Sic quoque testimonium Davidis magnificare debemus, cum inde
perspicuum fiat, nos non diversam iustificationis rationem habere ab il-
la, qua David & alij veteris testamenti sancti iustificati & salvati fue-
runt, sed prorsus eandem: sic tamen ut salus nostra nunc propior sit, Ro-
man. 13. vers. 11.

45. Quin hoc ipsum Abrahami filios nos efficit, quando fidei eius ve-
stigij insistentes, eundem cum illo iustificationis modum observamus &
sectamur. Gal. 3. v. 7.

46. Falsissimum igitur est, quod asserere quibusdam libuit, & impri-
mis Thammero & Puccio, quemlibet in religione sua salvari, dummodo
honestè vivat, quemadmodum & illud Scholasticorum: Patriarchas
lege Naturæ, Judæos lege Mosaica, Christianos autem lege Evangelica,
salvari.

47. Nam qua ratione Deo placuerunt, Abel, Henoch, Noah, & alij,
quorum exempla author Epistola ad Hebræos ex ultima antiquitate re-
censet, cap. 11. eadem quoque Deo populus suus omnibus temporibus placet.
Unde Act. 15. v. 11. Per gratiam Domini Jesu Christi credimus salva-
ri, quemadmodum & patres nostri.

48. Iustitia igitur illa, qua Deus impium iustificat, non est infusus a-
liquis habitus vel inherens qualitas; sed ipsa Christi iustitia nobis im-
putata: qua licet extra nos posita sit, & subiectivè nobis non inhereat,
imputatione tamen nobis applicatur & propria redditur.

49. Enim verò imputatio illa, non est ociosa quædam imaginatio &
cogitatio, cui veritas non subsit, sed est ordinatio Dei, qua meritum obe-
dientiæ & satisfactionis Christi mediatoris personæ credenti applicatur.

50. Quemadmodum enim Deus omnia omnium hominum peccata
imputavit Christo, reputans eum cum sceleratis, Es. 52. v. 12. quem ob id
hircus ille $\Sigma\tau\omicron\pi\omicron\mu\tau\acute{\alpha}\omega\tau$, qui omnes iniquitates populi portabat in terram
solitariam, prefigurabat, Levit. 16. v. 22. Unde quoque agnus Dei voca-
tur tollens peccata mundi, Ioh. 1. Sic quoque vicissim credentibus imputat
iustitiam Christi, non reputans illis delicta ipsorum, 2. Corinth. 5. v. 19.

B

& v.

Et v. 21. Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso.

51. Quamvis igitur, quos Deus iustitiâ Christi circumvestit, eosdem quoque donat Spiritu S. ut veterem hominem deponant, spiritu mentis suæ renoventur, & novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iustitia & sanctitate veritatis induant, Ephes. 2. v. 22. Unde Paulus Rom. 5. gratiam & donum coniungit, ver. 15. 17. & de iustificatis ex fide dicit, quod charitas Dei diffusa sit in cordibus eorum, Rom. 5. v. 5. accuratè tamen inter iustificationem & renovationem distinguendum est, ut cuique quod suum est, tribui possit.

52. Iustitia enim illa, quæ in iustificationis actu nobis imputatur, perfecta est; ideoque rigorem iudicij divini sustinere potest: at ea quæ est ex renovatione, multis modis imperfecta, manca & mutila est, crescit enim de die in diem, 2. Corinth. 4. ver. 16. Ideoque se veritatem iudicij divini ex sese sufferre non potest.

53. Quod autem Paulus iustitiam illam, quæ coram Deo valet, passim dixit quod unus Deus vocat, Rom. 1. v. 17. Rom. 3. v. 21. 22. Rom. 10. v. 3. 2. Corin. 5. ver. 21. non accipiendum est de ea iustitia, quæ Deus essentialiter & in sese iustus est: sed de remissione peccatorum, & acceptatione ad vitam æternam: & consequenter non de iustitia, quam Deus in nobis operatur, sed quam nobis imputat.

54. Nec accipi debet de illa iustitia, quæ Christus ipse secundum utramque naturam absolutè ac secundum sese iustus est, sed de illa, quam obedientia & satisfactione sua tanquam mediator acquisivit, iuxta illud Rom. 5. v. 19. Unius obedientia iusti constituuntur multi.

55. Sed non ineptè hoc loco queritur: cum Deus summè iustus sit, quo pacto iniustum & impium iustificare, hoc est, remissis peccatis absolvere & in gratiam recipere possit? Notum enim est, quam serio Deus id ipsum in iudicibus huius seculi detestetur.

56. Respondemus autem aliam esse iustificationem absolutam, aliam relatam.

57. Absoluta iustificatio hominis peccatoris nequaquam in Deum cadere potest: sed è diametro cum eius iustitia pugnat. Nullus enim apud eum per se innocens est, Exo. 34. v. 7.

58. Un-

58. Unde Deus ipse pronunciat Exo 23. v. 7. Non iustificabo impium.

Pf. 143. v. 2. Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

59. At relativa iustificatio cum iustitia Dei non pugnat, propter inter-
ventum satisfactionis & Antilytri alicuius sufficientis, cuius intuitu
& respectu Deus impio reconcilietur.

60. Nec id humano iudicio absurdum, nec ab usu quotidiano alienum
est, quod creditor as alienum debitori dimittit, si alius pro eo spondeat
& satisfaciat: Unde quoque homo peccator debitori comparatur, & re-
missio peccatorum ἀφεσις ὀφειλημάτων vocatur, Matth. 18. vers. 24. Matt.
6. vers. 12.

61. Cum autem homo nihil habeat cuius permutatione animam suam
redimere, Matth. 16. v. 26. nec frater fratrem redimere possit, Pf. 49. v. 8.
necesse fuit ipsum Deum ἀντίλυτρον designare & constituere, cuius intui-
tu homini peccatori placari vellet.

62. Placuit igitur Deo per filium dilectionis suae omnia sibi reconcilia-
re, Col. 1. v. 20. quem ob id nobis sapientiam & iustitiam, & sanctifica-
tionem, & redemptionem fecit, 1. Corinth. 1. v. 30. quemque ideo Paulus in
mundum venisse dicit ὁὐτως ἡμεῖς peccatores, 1. Tim. 2. v. 15. Et ipse Christus
affirmat, ὁὐτως ἡμεῖς τὸ ἀπολωλὸς, Matth. 18. v. 11. nimirum seipsum dando ἀν-
τίλυτρον pro omnibus, 1. Tim. 2. v. 6.

63. Cum igitur Deus ipse Christum λύτρον & ἱλασθῆναι pro peccatis mun-
di constituerit, non potest non λύτρον illud acceptare, ratum habere, e-
iusque respectu impium (sed credentem in Christum) a peccatis absolvere,
ac iustum pronunciare, iuxta illud Rom. 5. v. 10. Cum inimici essemus, re-
conciliati sumus Deo per mortem filij eius.

64. Ac proinde non vulgariter desipiunt, qui λύτρον humana re-
demptionis ab ipso Deo constitutum vel extenuant, vel eo repudiato, a-
liud quaritant: quod omnes faciunt, qui Deum meritis operum placare
nituntur.

65. Nihil enim aliud agunt hi, quam ut Deo λύτρον obrudant, quod
nec sufficiens sit, nec ab ipso constitutum & ordinatum, ac propterea ne
λύτρον quidem esse possit.

66. Non igitur Deus impium iustificat per ignorantiam, non per

incuriam, non per iniquitatem, multoque minus quod eius iniustitiam
vertat in iustitiam, dicens malum bonum, Es. 5. v. 20.

67. Nec attendit eius merita vel antecedentia vel consequentia, con-
grui, vel condigni: Alias enim iustificatio non esset gratuita, sed debita.

68. Nec ab eo satisfactionem aliquam expectat. Quis enim pro deli-
ctis satisfaciat, quorum plurima tam occulta sunt, ut ne intelligantur
quidem, Psal. 19. v. 13.

69. Respicit igitur Deus solam obedientiam & propiciationem filij sui,
qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, 1. Petr. 2. ver.
24 & Chirographum quod nobis aduersum erat, deleuit, Col. 2. ver. 14.
& sanguine suo aeternam redemptionem invenit, Heb. 9. v. 12.

70. Cumque eam obedientiam & satisfactionem filij sui acceptet, tan-
quam ab ipso impio prestitam, eum absque detrimento iustitiae suae a pec-
catis absolvere & iustum pronuntiare potest.

71. Iustificatio igitur hominis peccatoris (sui ipsius respectu) merè gra-
uita est: iuxta illud Eph. 2. v. 8. Gratia salvati estis. Rom. 3. v. 24. iusti-
ficamur gratis illius gratia. Et haec gratia rationem habet causa impuls-
ivae interioris.

72. Per gratiam autem non intelligimus donum aliquod vel creatio-
nis, vel patefactionis, vel renovationis, multoque minus habitum illum
quem Scholastici gratum facientem vocant, & fide, spe, & charitate de-
finiunt.

73. Sed ipsum potius gratuitum Dei favorem, quo Deus absque omnino
merito & dignitate sua peccatoribus poenitentiam agentibus & Evan-
gelio credentibus, remissis peccatis & imputata iustitia Christi, placatur,
eosque ad vitam aeternam acceptat.

74. Gratia enim illa, qua iustificamur, est χάρις & φιλανθρώπια Dei,
Tit. 3. v. 4. & misericordia. v. 5. & χάρις δωρεά ἡμῖν καὶ χάριτων αἰωνίων, 2.
Tim. 1. v. 9. & ἀγάπη, non qua nos diligimus Deum, sed qua Deus nos di-
ligit, 1. Ioh. 4. v. 10. qua Deus dilexit mundum, Ioh. 3. v. 16. ἢν ἠγάπησεν ἡ-
μᾶς ὁ θεὸς πολλοὶ ἐν ἐλέει, Eph. 2. v. 4. πολλοὶ ὑπεράλιον τῆς χάριτος θεοῦ, ἐν
χάριτι ἡμῶν: quae sanè non est gratia habitualiter inherens.

75. Quemadmodum enim electio nostra est gratuita, iuxta illud Eph.

1. v. 5.

1. vers. s. Elegit nos in Christo, antequam iacerentur fundamenta mundi, iuxta beneplacitum voluntatis suae in laudem & gloriam gratiae suae, iuxta divitias gratiae suae. Sic quoque iustificatio nostra. Non enim aliae possunt esse iustificationis causae, quam & electionis: cum illa pertineat ad huius executionem.

76. At respectu Christi redemptoris nequaquam iustificatio hominis peccatoris est gratuita. Non enim Deus homini reconciliatur in gratiam filij, quemadmodum saepe pater ignoscit servo per vicari, in gratiam filij.

77. Filius enim magno precio nos emit; 1. Cor. 6. v. 20. non corruptibilibus auro & argento, sed precioso suo sanguine, 1. Pet. 1. v. 18. quando per Spiritum sanctum seipsum obtulit immaculatum Deo, Heb. 9. v. 14. & tradidit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de presenti seculo nequam secundum voluntatem Dei & Patris nostri; Gal. 1. v. 4.

78. Sed quemadmodum electio nostra non est absoluta, (alioquin omnes essent electi) sed mediata: elegit enim nos in Christo, Eph. 1. v. 4. ita iustificatio nostra non est absoluta, (alioquin & infideles iustificarentur) sed mediata, hoc est, certis medijs determinata.

79. Medium iustificationis est duplex. Alterum in quo, & alterum per quod iustificamur.

80. Medium in quo (causam meritoriam & impulsivam exteriorem vocant) est obedientia & satisfactio Christi.

81. Nam & legem, cuius perfecta obedientia à nobis requirebatur, pro nobis implevit, & quas peccatorum poenas Deo debebamus, ille in corpore suo persolvit.

82. Nec ideo, quod nos ad aeternas poenas obligabamur, & passio Christi temporaria fuit, & quidam actus exigui temporis, nulla inter passionem Christi & iram Dei placandam intercessit proportio. Sufficiens enim meriti Christi ex ipsius personae dignitate & infinitate metienda est.

83. Utraque igitur obedientia & activa & passiva meriti rationem habet, & si vel activa vel passiva Christi obedientia à merito excludatur, aut pro culpa, aut pro poena satisfactum non esset.

84. Ne tamen aliquid desit ad Deum plenè perfectèq; placandum assidue quoq; Christus apud Patrem pro nobis apparet & interpellat, Hebr. 9. v. 24. Rom. 8. v. 34.
85. Atq; ista intercessione sua meritum suum quotidianis lapsibus nostris applicat, iuxta illud 1. Ioh. 2. ver. 1. Filioli mei hac scribo vobis, ut non peccetis. Sed si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum iustum.
86. Nequaquam igitur sentiendum est, satisfactioni Christi aliquid deesse, ideoq; aut Christi meritis nostra, aut nostris Christi merita assuenda esse, ut *συνολον* aliquod constituatur.
87. Nam si quicquam ex nobis ad reconciliandum Deum proficisci posset, haberemus de quo gloriaremur, Rom. 4. v. 2. Cum tamen scriptura nobis omnem in unum glorandi materiam praeceat. 1. Corin. 5. v. 31. Qui gloriatur, in Domino gloriatur.
88. Medium, per quod iustificamur, est duplex: Exhibitionis & apprehensionis. Medium exhibitionis (causam organicam vocant respectu Dei) est ipsum ministerium verbi & Sacramentorum; quod ideo ministerium reconciliationis vocatur, 2. Cor. 5. v. 18. & ipsi ministri dispensatores mysteriorum Dei, 1. Cor. 4. v. 1. qui pro Christo legatione funguntur, 2. Cor. 5. v. 20.
89. Hinc verbum vocatur verbum reconciliationis, 2. Cor. 5. v. 19. Et verbum vitae, Phil. 2. vers. 16. & verbum veritatis, quo pater luminum voluntarie nos gignit, ut simus initium novae creaturae, Iacob. 1. ver. 18. & semen incorruptibile ex quo renascimur, 1. Pet. 1. v. 23.
90. Baptismum quoq; Paulus vocat lavacrum aquae in verbo, quo Christus Ecclesiam mundat, Ephes. 5. v. 26. & lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti, Tit. 3. v. 5.
91. Sic calix benedictionis, cui benedicimus, est communicatio sanguinis Christi, 1. Cor. 10. v. 16. qui pro nobis effusus est in remissionem peccatorum, Mat. 26 v. 28 & panis, quem frangimus, est participatio corporis Christi, quod pro nobis fractum est, 1. Cor. 11. v. 24.
92. Nam Sacramenta sunt certa signa & testimonia voluntatis Dei erga nos, quae cum additam habeant claram promissionem gratiae, per ea
- non

non minus Deus movet corda, ut credant & concipiant fidem, quam per
verbum, unde quoque Augustinus Sacramentum vocat verbum visibile.

93. Hinc quoque fit, ut ij tantum iustificationis beneficium consequan-
tur, qui ordinarijs verbi & Sacramentorum medijs utuntur: ijque retine-
ant, qui securitatem & desidiam fugientes, adiunctis simul pijs preci-
bus, in assiduo mediorum illorum usu pergunt & perseverant.

94. Errant igitur Enthusiastæ, qui contemptis & spretis ordinarijs
medijs, aeternam salutem sibi pollicentur, nescio per quem immediatum
patris tractum, quos August. confess. damnat Art. 6.

95. Medium apprehensionis (causam instrumentalem vel organicam
respectu nostrum, vocant) non sunt bona opera, quocumque nomine ea cen-
seantur. Iustificamur enim gratis, Rom. 3. v. 24. & gratiam accepimus
pro gratia, Ioh. 1. ver. 16. At operanti merces imputatur non secundum
gratiam, sed secundum debitum, Rom. 4. v. 4.

96. Iustificant quidem opera secundario: quatenus iustificare idem
est quod iustum declarare: quemadmodum canities senem reddit, quia
senectutis argumentum est: quo sensu Abrahamus iustificatus est ex o-
peribus, Iacob. 2. v. 21. ex operibus, inquam, quibus fides cooperabatur,
v. 22. alioquin inter iustitiam Abrahami & Phariseorum, vel Aristidis
nihil esset discriminis.

97. At coram Deo iustos facere non possunt: quia bona opera non præ-
cedunt iustificandum, sed sequuntur iustificatum, Aug. de fide & operib.
c. 14. Et opera sunt ex gratia, non gratia ex operibus, ait idem epist. 106.

98. Fides igitur est medium illud iustitiæ Christi apprehensivum,
hinc Rom. 1. v. 17. Iustitia Dei patet per Evangelium ex fide in fidem,
sicut scriptum est: Iustus ex fide victurus est, Rom. 3. v. 22. Iustitia Dei
per fidem Iesu Christi, in omnes & super omnes eos, qui credunt, ibid. v.
28. Arbitramur hominem iustificari fide absque operibus legis, ibid. v.
30. Deus iustificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem. Rom.
4. v. 3. Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad iustitiam. ibid.
v. 5. Ei qui non operatur, sed credit, &c. Rom. 5. ver. 1. Iustificari ex fide,
Gal. 2. v. 16. Scimus non iustificari hominem, &c. Ephes. 2. ver. 8. Gratia
estis servati per fidem.

99. Hinc

99. Hinc est, quod fidei ascribitur remissio peccatorum, salus, & vita aeterna, Luc. 7. v. 48. Remittuntur tibi peccata, v. 50. fides tua te salvam fecit, 1. Petr. 1. v. 5. Virtute Dei custodimini per fidem ad salutem, v. 9. Reportantes finem fidei salutem animarum.

100. *aut qd
fides* Etsi autem hac eadem beneficia quandoq; operibus quoq; proponuntur, ut Matth. 19. v. 17. Si vis ingredi vitam, serva mandata. Rom. 2. v. 6. Reddet unicuiq; secundum opera eius, Luc. 6. ver. 37. Remittite & remittetur vobis, Luc. 16. v. 9. facite vobis amicos, & c. nihil tamen hinc iusticiarij proficiunt, nam aut *conveniens* illa dicuntur, & fides simul comprehenditur: aut per metalepsin dicuntur, qua effectum fidei bonis operibus tribuitur, quia ex fide oriuntur.

101. Tum licet vita aeterna merces alicubi vocetur, id fieri sentiendum est, non solum respectu meriti Christi & promissionis Dei: sed etiam quia Deus gratuito vita aeterna dono simul etiam compensat opera & afflictiones piorum, etiamsi aliam ob causam contingat.

102. *St. Hieron. 2. ad
Tim. 2. v. 14.* Fides autem illa, qua iustificamur, non significat nudam tantum Christianismi professionem aut generalem historiae notitiam & assensum, quo firmiter assentimur omnibus, quae Deus revelavit, & multo minus fidelitatem in vocatione: sed certam & immotam fiduciam acquiescentem in promissione misericordiae divinae propter Christum mediatorem: qua homo peccator certo & indubitato secum statuit Deum sibi peccata remittere propter eundem Christum mediatorem, idq; gratis, non propter aliquam suam dignitatem.

103. Non quidem est fides iustificans absq; notitia mentis, & assensu voluntatis: non tamen ea ratione proprie iustificat, qua est habitus animi, sed qua est fiducia promissionibus Evangelij innitens, unde quoq; notitiae propter comitantem affectum saepe tribuitur, quod proprium est fiduciae, Ps. 53. v. 11. Ioh. 17. v. 3. & c.

104. Fidem autem hoc respectu fiduciam significare vel ex eo manifestum est, quia mutuam *χρῆσις* habet ad promissionem, unde etiam Paulus fidem & promissionem relative inter se opponit. Roman. 4. v. 16. Ex fide datur hereditas, ut firma sit promissio, & paulo ante v. 14. Exinanita est fides, abolita est promissio.

105. Hug

105. Huc accedit, quod credere & considerare sæpè iisdem versibus ἰσχυρισμοὶ coniunguntur, ut Ps. 78. v. 22. Mich. 7. v. 5. &c. ut appareat fidem & fiduciam ταυτὸ esse.
106. Unde quoq; contraria fiducia, ipsi fidei iustificanti opponuntur, ut dubitatio & dissidentia. vide Rom. 4. v. 19. 20. commendationem fidei Abrahæ.
107. Et sic effecta & propria fiducia adiuncta attribuuntur fidei iustificanti, qualia sunt pax conscientia, lætitia, gloriatio, ὑποψαφίς, ἀνεργοεῖα, ἀσπίδια, δῶς &c.
108. Ut omittamus, quod trito Græcæ linguæ usu πιστεῖν est credere, & πίστις fiducia, etiam profanis authoribus.
109. Cumq; fides iustificans intueatur promissionem, & ad eam feratur tanquam ad obiectum sibi conveniens, non tamen in qualibet promissione illa heret & acquiescit, sed in illa tantum, quæ est de Christo mediatore. Hinc πιστοῦς ille (qui credit in eum) in S. scripturis tam creber est.
110. Et propter hanc unicam promissionem reliquæ omnes firmæ ræq; sunt: iuxta illud 2. Cor. 1. v. 20. Quotquot sunt promissiones Dei, in ipso sunt τὸ ναὶ, & in ipso sunt τὸ ἀμὴν Deo ad gloriam per nos.
111. Fides igitur quæ promissionem de Christo non apprehendit, nullam aliam promissionem apprehendere, nec à Deo quicquam petere potest; Et hinc est, quod omnes Ecclesiæ preces concluduntur, per Iesum Christum Dominum nostrum.
112. Quod autem fiducia illa iustificat, non ex instituto Ecclesiæ fit, sed secundum propositum gratiæ Dei, Rom. 4. v. 5. Unde 1. Cor. 1. vers. 27. Placuit Deo per stultam prædicationem salvos facere credentes.
113. Haudquaquam igitur ulla bona opera fidei in ipso iustificationis actu & negotio succenturianda sunt, in eo enim operibus nihil tribui potest, quin id fidei & consequenter etiam merito & gratuita misericordiæ Dei subtrahatur.
114. Verum quidem est fidem iustificantem absq; bonis operibus nunquam esse posse: absq; operibus tamen iustificat. Non enim quæ coniuncta sunt, semper quoq; coniunctim agunt.

C

Quem-

115. Quemadmodum igitur in Sole calor & splendor semper unum sunt? ita quoque fides & bona opera semper simul sunt. Sed quemadmodum Sol non ratione splendoris, sed calor calefacit, & non ratione caloris, sed splendoris lucet; ita quoque fides non respectu operum, sed promissionis apprehensum iustificat.

116. Et ut significantius dicamus, fides non iustificat, quatenus est formata a charitate: vel quatenus cooperatur operibus, & operibus perficitur, Iacob. 2. ver. 22. sed quatenus formatur apprehensione obedientiae & propitiationis Christi, innitens promissioni Evangelij.

117. Unde, quod Scholastici tradunt de fide formata charitate, satis ineptum est, quod etiam Logicorum Scholae irrident, cum qualitatem qualitas reformare non possit. Si tamen fides formata charitate pro ea accipiatur, quam Paulus vocat efficacem per dilectionem, sensus retineatur, lingua corrigatur.

118. Sed & in eo Pontificij satis crasse impingunt, quod fidem idem iustificare dicunt, quia humana salutis initium, fundamentum, & radix omnis iustificationis sit: eoque sensu tantum admittunt solam fidem iustificare.

119. At eadem ratione Christus quoque tantum nostrae iustificationis initium prestaret, & quod aiunt, primam gratiam meruisset: & renatorum deinceps mediator & redemptor non esset, quod sane ut falsissimum est, ita quoque summè blasphemum.

120. Nam sacra scriptura iustificationem nostram Christo τὸ ἀρχαῖον καὶ τέλος τῆς ζωῆς, Act. 3. v. 15. & ἀλφωτῆ, Act. 7. v. 35. in solidum ascribunt: ad eam etiam ut constanter negent, in quoquam alio remissionem peccatorum aut salutem esse, Act. 10. v. 43. & 4. v. 12.

121. Jam quicquid fidei detrahatur ipsi Christo τὸ ἀρχαῖον καὶ τέλος τῆς ζωῆς, Heb. 12. v. 2. detrahatur. Cum medium in quo iustificamur, & medium apprehensionis inter se adaequata sint, & aequè late pateant.

122. Imò quod Pontificij incrementum iustificationis inter fidem & eius effecta partiuntur, eo ipso suam in sacris scripturis inscitiam produunt, ut qui non intelligant, quid fidei proprium sit, & quid operum.

123. Fides, ait Lutherus, in Gen. 15. caput, nunquam est sola, sed affertur secum.

Ab hinc in
Lutheri Quaest.

secum charitatem, & alia multiplicia dona, neq; unquam sola est, sed non idè confundenda res, & quod solius fidei est, alijs virtutibus attribuendum.

124. Quemadmodum igitur anima corpori non tantùm initium vitæ præbet, sed incrementum quoq;, ut quamdiu homo vivit, non alio, quàm animæ beneficio vivat, sic quoq; iustus fide sua vivit, quamdiu credit.

125. Cumq; negari non possit, Christum esse τὸ ἀρχὴ, nostraq; salutis autorem & perfectorem, quidni igitur fides quæ Christum includit, initium & incrementum, adeoq; consummationem iustificationis nobis præstet.

126. Sed nec illi rectè sentiunt, qui contendunt fidem iustificare non quatenus apprehendit meritum & iustitiam Christi, sed quatenus Christus adeoq; tota trinitas per fidem in cordibus fidelium habitet, & adiuvè agendum moveat & incitet.

127. Nam inhabitatio Dei per fidem in cordibus credentium, de qua Joh. 14. v. 23. Eph. 3. v. 17. & alibi, non fit ut iustificentur, sed ut iustificati quoq; sanctificentur. Inhabitatio igitur illa non est iustificationis causa, sed effectum & adiunctum.

128. Sana est igitur propositio, & omni studio in Ecclesia retinenda; Tantùm fidem seu solam fidem iustificare. Nam & sacris scripturis consentanea est, & ab ipsis etiam veteris Ecclesie Doctõribus sæpè usurpata.

129. Et quod D. Lutherus particulam exclusivam versioni suæ Germanicæ inseruit, nec novo interpretationis exemplo, nec absq; evidenti & gravi ratione factum esse existimamus.

130. Nam ad eundem modum 70. interpretes, Gen. 3. v. 11. Μόνον, & Latinus interpres, 2. Par. 20. v. 12. Solum, & Christus Matth. 4. v. 10. μόνον, & Syrus interpres, Rom. 4. v. 5. (ubi iustificationis doctrina ex professo tractatur) ἡμῶν tantùm interpolant: quæ in Archetypis sanè non habentur.

131. Adde, quod Paulus eiusmodi Exclusivas habet, quæ particulam Tantùm ac Sola manifestè includunt, & cum ea pulcherrimè convertuntur: quales sunt, Gratis, Rom. 3. v. 24. Gratia, Eph. 2. v. 8. Tit. 3. v. 7.

*Christi fide
2. temp
(Sola)*



Rom. 3. v. 24. absq; operibus, Rom. 3. v. 28. εἰ μὴ, Ioh. 14. v. 6. εἰ μὴ, Gal. 2. v. 16. id est, ἀλλὰ, ut Syrus interpres habet.

132. Et sententia Patrum, in quibus soli fidei iustificationem ascribunt, magno studio ab alijs collecta sunt.

133. Nec verò est, cur patres sibi constare negentur, dum alicubi solam fidem ad salutem sufficere negant. Intelligunt enim nudam fidei professionem, quam Iacobus mortuam fidem vocat: quam & nos iustificare negamus.

134. Rectè igitur Ecclesia nostra faciunt, quòd Exclusivam illam contra Pontificios mordicus retinent & defendunt. Agitur enim res magna. Et cum ea in symbolum Ecclesiarum nostrarum iam cesserit, quo distinguamur à Pontificijs, non sine praiudicio adeoq; proditione veritatis eam abijcere possumus.

135. Interim verò Exclusiva illa rectè accipienda est. Non enim opponitur Deo vel merito Christi: nec excludit verbum, Sacramenta, pœnitentiam aut bona opera, sed tantum operum meritum & dignitatem.

136. Quomodo enim ipsum iustificationis actum ingrediatur dignitas operum: quem neq; dignitas fidei (quam nimirum fides ex sese habet) ingreditur.

137. Metalepsis enim est, fide iustificamur, id est, merito Christi fide apprehenso. Fides enim hic non absolute, sed γεννωσ & relative consideratur. Correlatum igitur pro relato intelligendum est.

138. Quemadmodum igitur sola Dei gratia & misericordia: solo item Christi merito & obedientia iustificari rectè dicimur, ita quoq; solam fidem (quæ nimirum Dei gratiam & Christi meritum apprehendit, dum promissionib. Evangelij acquiescit & innititur) iustificare rectè dicitur.

139. Aut si exclusiva sola in Ecclesia ferenda non est, neq; particula gratis ferenda erit, cum utraq; meritis operum opponatur.

140. Etsi autem Iacobus in speciem ad versari Paulo videatur, quando dicit cap. 2. v. 24. Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum: quæ una quoq; ratio veteres movisse videtur, quò minus Epistolam hanc inter Canonicas scripturas reciperent: si tamen argumentum quod Iacobus tractat, & scopus ad quem collimat, attenduntur,

diuntur, manifestum sit Iacobum prorsus eandem cum Paulo doctrinam defendere.

141. Paulus tradit eiusmodi fidem, quæ sit efficax per charitatem, Galat. 5. v. 6. & legem operum non irritam faciat, sed stabilitat, Rom. 3. ver. 31. Eadem fidem Iacobus quoque requirit, quod ex eo manifestum est, quia vanam & inanem fidei iactationem (quam per concessionem fidem vocat) tam graviter insectatur.

142. Paulus docet Abrahamum iustificatum esse coram Deo fide, quando nimirum Deo primum reconciliatus fuit, quem cultibus idololatricis offenderat, Josua 24. v. 2.

143. Iacobus docet quomodo Abrahamus adeptam iustificationem ipsis operibus ex fide profectis ostenderit & declaraverit, unde & Angelus dicit Gen. 22. v. 12. Nunc cognovi, quod timeas Dominum.

144. Itaque non est hæc sententia Iacobi; Abrahamum coram Deo iustificatum fuisse, fide simul & operibus: sed quod iustitiam fidei, quæ ipsi credenti iam olim imputata & Sacramento circumcisionis tanquam signaculo obsignata fuerat, operibus declaraverit.

145. Unde quod Iacobus v. 23. dicit, eo ipso tempore quo Abrahamus filium offerre voluit, Gen. 22. impletum fuisse, quod Gen. 15. v. 6. dicitur, Credidit Abraham Deo, &c. hunc sensum habet, quod tum plenius illud fuerit exhibitum: quemadmodum Act. 13. v. 33. in resurrectione Christi impletum, id est, declaratum & plenius exhibitum dicitur illud Psal. 2. v. 7. Filius meus es tu.

146. Quod etiam Luc. 7. v. 47. dicitur: Remissa sunt ei peccata multa, quia multum dilexit: nequaquam ex eo inferendum est, fidem in subsidium vocare dilectionem, ut iustificet.

147. Dilectio enim remissionis causa non erat, sed effectum, (unde τὸ ὄν non est causale sed ratiocinativum) Et Christus ipse muliercule dicit: Fides tua te salvam fecit, v. 50.

148. Quod igitur Pontificij calumniantur, eos qui iustificantur in Christum, sepulchra esse dealbata, quæ foris quidem munda appareant, intus autem plena sint ossibus mortuorum, Matth. 23. v. 27. eosque comparant rei cuiusdam, quæ per vitrum rubrum appareat rubra, cum in se

alio colore imbuta sit, & iustitiam Christi imputatam vocant perspicibilem, alio colore infectum, per quod Deus hominē aliter intueatur, quam in seipso verē sit, Diabolici sarcasmi sunt.

149. Quod autem Concilium Tridentinum sub Anathemate pronunciat ses. 6. can. 28. quantum vis gratia per peccatum amittatur, non semper tamen amitti fidem, & fidem quae remanet, esse veram fidem: huic decreto opponimus Anathematismum Aug. confes. art. 11. quo damnatur Anabaptista, qui negant semel iustificatos iterum posse amittere Spiritum sanctum.

150. Subscribimus autem eorum sententia, qui cum S. scripturis Iob. 15. v. 7. 1. Tim. 1. v. 10. Col. 1. v. 23. Heb. 3. v. 6. 14. 2. Pet. 2. v. 20. 21. docent, fidem amitti & Spiritum S. excuti, cum homines peccato indulgent contra conscientiam. Nam ut August. ait, Fieri non potest, ut qui mala habet facta, bonas habeat cogitationes: vid. Aug. confes. art. 5. & 20. & Apolog. de dilectione & impletione legis.

151. Nam ubi conscientia voluntarijs peccatis vastatur, actum est de salute, naufragium verō fidei factum est, sine qua fide nemo mortalium iustus esse potest, iustitia autem amissa extra viam vitae aeternae erratur. Nam conscientia mala cum fide (cordis) constare non potest.

152. Perniciosum igitur errorem errare iudicamus eos, qui nec fidem (cordis) semel conceptam amitti, nec Spiritum S. excuti posse contendunt. Hec enim persuasio securitatem gignit, securitas Acediam, Acediam varios lapsus, varijs lapsus epicureismum, epicureismus ἀπαρνησίαν, ἀπαρνησίαν desperationem, desperatio certam damnationem.

153. Itaq; qui stat, videre debet ne cadat, 1. Cor. 10. v. 12. Semper orandum est, Ne nos inducas in tentationem: quemadmodum David Ps. 51. v. 13. Spiritum sanctum tuum ne auferas à me (ut mihi contigit lapsio in adulterium & homicidium) & militanda est bona militia, retinenda fides & bona conscientia, quam (bonam conscientiam) quidam repellentes circa fidem naufragauerunt, 1. Tim. 1. v. 18 19.

154. Quod autem concilium dicit: fidem, quae post amissam gratiam remanet, veram esse fidem, licet non sit viua; verum est de fide historica seu dogmatica: non de fide iustificante. Fides enim iustificans & gratia in eodem

eodem subiecto sunt, *in* *sub* *esse* & simul se ponunt, & tollunt.

155. Sed ut iustificationis beneficiū eò magis nobis dulcescat, & suavior sit eius consideratio, precipuos eius fines & effecta paucis delibabimus.

156. Et primū quidem Deus nos iustificat, ut gloriam gratiæ & iustitiæ suæ nobis commendet, Rom. 9. ver. 25. Ad ostensionem iustitiæ suæ, Eph. 1. v. 6. Ad laudem gloriæ gratiæ suæ, 1. Pet. 2. vers. 9. Ut virtutes annuncietis eius, &c.

157. Deinde ut conscientia nostra tranquilla & securæ reddantur, addeò etiam ut contra omnes afflictiones gloriari possimus, Rom. 5. v. 1. Iustificati fide pacem habemus, 1. Pet. 1. v. 8. Credentes exultatis letitia inenarrabili.

158. At quòd Pontificij de remissione peccatorum dubitare iubent, præterquam quod fidei naturam subvertit, omnem & conscientijs tranquillitatem, & cordibus letitiam in adversis eripit.

159. Nec est quod oggāniant, nec specialem Dei voluntatem de salute nostra nobis revelatam esse, nec eam esse dignitatem nostram, ex qua certi aliquid de salute nostra statuere possimus.

160. Promissiones enim Evangelij sic universales sunt, ut eas sibi fide quisq; applicare & speciales facere possit, ac debeat etiam.

161. Tum etiam non ex nostra dignitate, sed ex Dei verbo & Evangelij promissione de salute nostra statuere debemus.

162. Tertio iustificat Deus, ut quoq; novitati vitæ studeamus, 2. Cor. 5. v. 15. Qui vivunt, iam non sibi vivunt, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit, Eph. 2. v. 10. Ipsius factura sumus creati in Christo Iesu ad bona opera.

163. Quarto ut æternam salutem consequamur, 1. Pet. 1. ver. 9. Reportantes finem fidei vestræ salutem animarum vestrarum, Tit. 3. v. 7. Ut iustificati hæredes efficiamur vitæ æternæ.

164. Quinto, ut æterna quoq; gloria coronemur, Rom. 8. ver. 30. Quos iustificavit, hos & glorificavit, 1. Pet. 5. v. 4. Percipietis immarcescibilem coronam, Matth. 13. ver. 43. Tunc iusti fulgebunt, Dan. 12. vers. 3. Sap. 3. vers. 7. &c.

F I N I S.

ad 6



99 A 6906

ULB Halle 3
002 633 388




50

6

VD17

Rehe 0





S THEOLOGICÆ,
FICATIONE HO-
catoris coram Deo:

Quas,

E AUXILIANTE FAVORE,
R A E S I D E

E MOLTHE-
LOGIAE DOCTORE,
terarum in inclyta Acade-
nfi Professore, publicè
li tueri enitetur

LAUS JACOBUS
llanus, Hassus.

arii, in auditorio Theologico.



rum, excudebat Paulus Egenolphus, 1599.

unium virtutum genere ornatissimo viro
do Mesomglio collega suo et amico

